

L. Nemo vestrum, fratres, parvi pendat orationem suam. Dico enim vobis quia ipse, ad quem oramus, non parvi pendit eam: priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi jubet eam in libro suo; & unum indubitanter è duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius: nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed miseretur ille super ignorantia nostra, & orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit: oratio tamen infructuosa non erit. . . . tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori dono. (*Ibid.*)

LI. Sit oratio, quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta; sit oratio, quæ pro virtutibus est, animæ etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta; sit ea quæ fit pro æterna vita in omni humilitate præsumens de sola, ut dignum est, miseratione divina. (*Ibid.*)

LII. Expedit omni animæ Deum semper attendere tanquam proprium, non modo adiutorem: quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? (*Serm. 2. in Psalm. Qui habitat.*)

LIII. Durum vobis videtur, cum dicitur: *agite pœnitentiam*: erratis, sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* (*Serm. 3. ibid.*)

LIV. Qui tam pavendum, qui tam plenum anxietatis, & vehementissimæ solitudinis excogitari potest, quam judicandum astare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare sub tam districto iudice sententiam. *Horrendum est*, ait Apostulus, *incidere in manus Dei viventis.* Judicemur interim, fratres; & terribilem illam expectationem præsentī studeamus declinare iudicio. (*Serm. 8. Ibid.*)

LV. Quicquid agendum sit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es, Domine, spes mea: hæc mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. (*Serm. 9. Ibid.*)

LVI. Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscumque modi necessitatem, aperta est nobis urbs confugii. . . . patent viscera misericordiæ Dei nostri. (*Ibid.*)

LVII. Nec sane dixerim ut vel ipsam odio habeas carnem. Dilige eam tanquam tibi datam in adjutorium & æternæ beatitudinis consortium preparatam: sic amet anima carnem ut non ipsa in carnem transisse putetur. (*Ibid.*)

LVIII. Cautè ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis; in quovis diversorio, in quovis angulo angelo tuo reverentiam habe. Tune audeas illo præsentē, quod vidente me non auderēs? (*Serm. 12. Ib.*)

LIX. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos. . . . totus tamen ei reddatur & amor, & honor noster, à quo tam ipsis quam nobis est totum, una honorare possumus, vel amari, honorarive mere-mur. (*Ibid.*)

LX. Nolite irasci eis qui transitoria vobis auferunt, qui ingerunt forte supplicia, & præter hæc faciunt nihil. Ostendam autem vobis cui debeatis irasci: irascimini ei quæ sola vobis nocere potest, sola facere ut omnia alia non prosint. Vultis scire quænam illa sit? iniquitas propria. Ita dico vobis, huic irascimini. (*Serm. 13. Ibid.*)

LXI. Fecit te Deus, fecit tam multa propter te, fecit propter te & semetipsum: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Quid adhuc restat? factus est ipse tecum una caro, te quoque secum faciet spiritum unum: non recedant hæc quatuor à corde tuo, non ab ore, non à memoria, non ab affectione: hæc cogita semper, in his jugiter delectare. (*Serm. 14. Ibidem.*)

LXII. *Clamavit ad me, & ego exaudiam eum.* . . . non dicit: dignus fuit, justus & rectus fuit, innocens manibus & mundo corde, propterea liberabo, protegā & exaudiam eum: si enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret? . . . Dulcis lex quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis . . . in Dei auribus, desiderium. (*Serm. 16. Ibid.*)

LXIII. Mirabilis Passio tua, Domine Jesu, quæ passiones omnium nostrum propulsavit, propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte salvetur. (*Serm. de Pass. Domin.*)

LXIV. Originale delictum totum non modo genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum . . . Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit, usque ad eam qua communis eum recipit mater . . . in sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur; ante exitum miseris oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus . . . primam vocem plorationis edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi. (*Ibid.*)

LXV. Mira res! Jesus clamat, *ignosce*; Judæi: *crucifige* . . . quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis confugientes ad te oleo misericordie tuæ? (*Ibid.*)

LXVI. Sacramentum Dominici Corporis & Sanguinis pretiosi . . . duo . . . operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem. (*Ibid.*)

LXVII. Proh dolor! peccandi tempus, terminus reciden-

di facta est Resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia, & impudicitia repetuntur & laxantur concupiscentiæ fræna, quasi vero ad hoc surrexerit Christus; & non propter justificationem nostram. (*Serm. in die Paschæ.*)

LXVIII. Non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga, substractio occasionis. (*Ibid.*)

LXIX. Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem Domini, pasce, inquit mente, pasce ore, pasce opere: pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. (*Serm. 2. temp. Pasch.*)

LXX. Spiritus Jesuchristi bonus, Spiritus Sanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus principalis quicquid in hoc sæculo nequam videtur difficile & angustum, leve facit & latum, opprobrium gaudium judicat, despectionem exaltationem esse persuadet. (*Serm. 3. in Ascension.*)

LXXI. Quid grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt . . . æterna præmia? (*Serm. 4. Ibid.*)

LXXII. Beatam, Maria, te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiā, justī gratiā, peccatores veniā inveniunt; in æternum merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis quicquid creaverat, creavit. (*Serm. 2. in Pentecoste.*)

LXXIII. *Domine, quid me vis facere?* O verbum breve, sed plenum, sed vivum & efficax, sed dignum omni acceptione. Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit omni hora requirant. (*Serm. 1. de convers. S. Paul.*)

LXXIV. *Ingredere civitatem, ibi dicitur tibi quid te oporteat facere.* O sapientia suaviter vere universa disponens, eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas, & edoctus per hominem, discat & ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. (*Ibid.*)

LXXV. In medio templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio: quia non est acceptio personarum apud Deum: in communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit. (*Serm. in Purificat.*)

LXXVI. Si quis forsitan proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, noverit quisquis hujusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero, & in regressione, quoniam in via vitæ non progredi, regredi est. (*Serm. 2. Ibid.*)

LXXVII. Sermo vivus & efficax exemplum operis est, plurimum faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. (*In natali S. Benedicti Serm.*)

LXXVIII. Non solus mundus habet delectationem, sed multo major est in verbis tuis, unde & Propheta ait: quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo... non solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternæ, & expectatio justorum lætitia est, & tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. (*Ibid.*)

LXXIX. Necessè est primo omnium credere quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse; postremo quod æternam vitam nullis potes operibus promovere, nisi gratis tibi dentur & illa... merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini. (*Serm. 1. in Annuntiatione.*)

LXXX. Prior justitiæ portio, non peccare; secunda, per poenitentiam damnare peccatum. (*Ibid.*)

LXXXI. Rex ille dives, & prædives exinanitur; excelsus humiliatur; immensus abbreviatur, & Angelis minoratus est,

verus denique Deus, & Dei Filius incarnatus: sed quo fructu; nempe ut omnes qui paupertate locupletamur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus Incarnatione adhærentes Deo incipiamus unus esse spiritus cum eo. (*Ser. 3. Ibidem.*)

LXXXII. Quicquid oculis cernitur, quicquid huic corporeæ luci subjacere videtur, quid illud, nisi vapor ad modicum parens? quid illud, nisi foenum, & flos foeni? (*In Nativit. Sancti Joan. Bapt. Serm.*)

LXXXIII. Interrogemus conscientias nostras, & animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium Dei viventis. Quicquid vero minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis enim Deus; & si confiteamur iniquitates nostras, si misérias nostras exponamus, si non excusemus infirmitates nostras, dimittet nobis peccata nostra. (*Ibid.*)

LXXXIV. Est consentire, silere cum arguere possis; & scimus, quia similis poena facientes maneat & consentientes. (*Ibidem.*)

LXXXV. Deus, certum est, quod peccata remittere possit, sed utrum velit, adhuc in quæstione est. Vult profecto, quia sponsus est, quia amabilis est... & licet velit gloriosam sponsam sine macula, aut ruga, aut aliquid hujusmodi, non tamen quærit talem; ubi enim illam inveniret? sed talem potius ipse facit. (*Ibidem.*)

LXXXVI. Tria sunt quæ in festivitatibus Sanctorum vigilantè considerare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram: auxilium ejus; quia qui potens in terra fuit, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum viveret misertus est peccatoribus, & oravit pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit... debemus etiam attendere... humilitatem operum ejus... quomodo tam verbo quam exemplo

duxerit inter homines.... Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus, quia homo ille similis nobis fuit, passibilis ex eodem luto formatus; ex quo est quod non solum difficile, sed & impossibile credimus ut faciamus opera quæ fecit? (*In Vigil. SS. Petri & Pauli, Serm.*)

LXXXVII. Quid docuerunt, vel docent nos Apostoli Sancti?... docuerunt me vivere. Putas parva res est, scire vivere? magnum aliquid, immo maximum est: non vivit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus: quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. (*Serm. 1. in Festo SS. Petri & Pauli.*)

LXXXVIII. Est quod à te pateris, quod à te proximo, quod à Deo. Primum, est austeritas poenitentiae; secundum, vexatio alienae malitiae; tertium, flagellum correctionis divinae. In eo quod à te pateris, debes voluntarie sacrificare; quod à proximo, patienter ferre; quod à Deo, sine murmure, & cum gratiarum actione sustinere. (*Ibid.*)

LXXXIX. Benigne audiendum, devote suscipiendum, sollicitè conservandum, quicquid ad animarum salutem pertinet, & non sicut verbum hominum, sed sicut (quod vere est) verbum Dei, sive illud consolatorium, sive ammonitorium, sive etiam increpatorium audiatur. (*Serm. 2. Ibidem.*)

XC. Universa, quæ nobis imminere videntur, pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes discamus de nostra omnino industria, magis autem de nostris diffidere meritis, & soli divinae nos protectioni committere, pio quodam mentis affectu in ipsum cuius datum optimum, & donum perfectum est consummatio felix & mors pretiosa. (*Ibid.*)

XCI. Ad Dominum jam conversos non nimis cruciet praeceptorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos. (*Serm. 3. Ibidem.*)

XCII. Eorum qui peccant antequam Deum noverint,

antequam miserationes ejus experti sint, antequam portaverint jugum suave, & onus leve, priusquam devotionis gratiam & consolationes acceperint Spiritus Sancti, eorum, inquam, copiosa redemptio est... ut eorum qui post conversionem suam peccatis & vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi & carnales facti, aut post agnitam viam veritatis retro eunt, apostatæ manifesti eorum; utique perpauca invenias qui post hæc redeant in pristinum gradum. (*Ibid.*)

XCIII. Nemo ex vobis super peccatis præteritis ultra quam necesse sit confundatur... quid enim forte peccasti in sæculo? numquid amplius Paulo? quod si & in ipsa Religione, numquid plus Petro? attamen illi in toto corde poenitentiam agentes, non modo salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt, etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis: & tu ergo fac similiter. (*Ibid.*)

XCIV. Maria Regina cælorum est, misericors est, denique Mater unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit. (*Serm. 1. in Assumpt.*)

XCV. Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo; optimum autem qui perfectus est in utroque. (*Serm. 3. Ibidem.*)

XCVI. Oportet te, frater, ad quem de fabricanda, seu regenda inter undas diluvii Noe arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, ut Daniel erat, aut cum beato Job virum dolorum, & scientem infirmitatem. (*Ibid.*)

XCVII. Simplex esto, non tantum sine dolo & simulatione, sed & absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio ejus, cuius, & vox dulcis, & facies decora. Unum cave ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plus sa-

pere, quam oportet sapere, ne forte dum lucem sectaris, impingas in tenebras illudente tibi dæmonio. (*Ibid.*)

XCVIII. Bona foecunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis; prorsus autem optima est foecunditas Virginea, seu foecunda Virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri... quid si & illud adjicias, cujus Mater; quæ jam poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, Matrem autem non cujuscunque, sed Dei? duplex novitas, duplex prærogativa, duplex miraculum; sed digne prorsus aptissimeque conveniens: neque enim Filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter. (*Serm. 4. Ibid.*)

XCIX. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. (*Idem.*)

C. Opus est Mediatore ad Mediatorem, nec alter nobis utilior, quam Maria. (*Serm. 5. Ibid.*)

CI. Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nil tam congruum Christiano. (*Ibid.*)

CII. *Pater noster qui es in cælis*... fidelis oratio, cujus ipsa primordia, & divinæ adoptionis, & terrenæ peregrinationis admoneant, ut hæc scientes, quod, quamdiu non sumus in cælo, peregrinamur à Domino, gemimus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Patris. (*Serm. in Nativ. Mariæ.*)

CIII. Ad Patrem verebaris accedere... Jesum tibi dedit Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat... an vero trepidus & ad ipsum? frater tuus est, & carota, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit; sed forsitan & in ipso Majestatem vereare divinam: quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus; Advocatum habere vis, & ad ipsum; ad Mariam recurrere... exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima

fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri Filius potest? (*Ibid.*)

CIV. In multis tentat te Dominus Deus tuus: declinat sapius, avertit faciem, sed non in ira: probationis istud est, non reprobationis; sustinuit te dilectus, sustine & tu dilectum, sustine Dominum, viriliter age. Non illum vicere peccata tua, te quoque ipsius flagella non superent. (*Ibid.*)

CV. Ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum propter Deum, propter nos, propter seipsos: propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur; propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur; propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. (*In Festo S. Michaelis, Serm. 1.*)

CVI. Si districte judicetur, injusta invenietur omnis justitiæ nostra, & minus habens: quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitiæ? Propterea obnixè cum Propheta clamantes: *Non intres in iudicio cum servo tuo, Domine*, tota humilitate ad misericordiam recurramus. (*In Festo omnium Sanctorum, Serm. 1.*)

CVII. Nunquam propter alium homo peccet, quod est justitiæ: & libenter aliena peccata portet, quod est misericordiæ. (*Ibid.*)

CVIII. Nec sane parum fructuosa invenitur memoria festiva Sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens: cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra consideratione beatitudinis, exciretur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiat exemplis. (*Ibid.*)

CIX. Ad quid Sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solemnitas?... quo eis præconia nostra? pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi; honorum nostrorum Santi non egent, nec quicquam eis nostra devotione

præstatur plane quod eorum memoriam veneramus, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari... Singulorum quippe recordationes devotos accendunt animos, ut eorum & conspectum sitiant & complexum. (*Serm. 5. Ibid.*)

CX. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur... pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura, non tam honoris sit, quam irrisio. (*Ibid.*)

CXI. Multo plures prosperitatis fallaciæ, quam adversitatis flagella dejiciunt. (*In transitu S. Malachia, Serm. 1.*)

CXII. Non beatos prædicat Sermo divinus qui mortuos suscitant, cæcos illuminant, morbosos sanant, leprosos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænuntiant, miraculis coruscant; verum pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes & sitientes justitiam, misericordes, mundo corde, pacificos, persecutionem propter justitiam sustinentes. (*In Festo S. Martini, Serm.*)

CXIII. Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis præveniendâ jejniis, utiliter plane... multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum omnino est celebrandas suscipere festivitates sacras, maximeque eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & digniores, & captiores inveniamur spiritualium gaudiorum. (*In Vigilia Sancti Andrea, Serm.*)

CXIV. Non modo præparatio est ad proximam celebritatem observatio præmissa jejunii; est & admonitio quædam, eruditioque non parva: discimus ex hoc ipso quænam sit via festivitatis internæ. Quid est enim quod jejniis solemnia prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei? (*Ibid.*)

CXV. Crux prætiosa est, Crux amari potest, Crux ha-

bet exultationem. Ita est, fratres mei, si fuerit, qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. (*In Festo S. Andrea, Serm. 1.*)

CXVI. Triplicem licet considerare gradum, incipientium, proficientium, perfectorum: initium enim sapientiæ timor Domini, medium spes, charitas plenitudo... (*Ibid.*)

CXVII. Pater, si fieri potest, transeat, &c. Agnosco plane in Duce belli pusillanimatorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in Medico... considero charitatem, stupeo miserationem. (*Ibid.*)

CXVIII. Dicit patientia: sic oportet fieri, quia timore urgetur; dicit voluntas bona: sic expedit, & sic agendum est, quia spei attrahitur ratio: charitas vero quæ inflammatur à spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit, & sic volo, inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sublimitas, videtis quanta securitas, quantaque suavitas charitatis. Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenerit statum. (*Ibidem.*)

CXIX. Meditatio docet quid desit, oratio ne desit obtinet; illa viam ostendit, ista deducit, mediatione denique agnoscimus imminetia nobis pericula, oratione evadimus. (*Ibid.*)

CXX. Quæramus ut dona sua multiplicet in nobis Deus, & Spiritum suum augeat qui jam primitias dedit: nullum enim omnino præsentia ejus certius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris. (*Serm. 2. Ibid.*)

CXXI. Petit, & non accipit, eo quod negligenter petitis: nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærît Deus, nisi ut sedulo, & cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur ut petant. (*Ibid.*)

CXXII. Non est sine Cruce sequi Christum; & sine unctione Crucis asperitatem ferre quis posset? hinc est quod multi abominantur, & fugiunt poenitentiam, Crucem quidem viden-

tes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce ipsi scitis, quia vere Crux nostra inuncta est, & per gratiam Spiritus adjuvantis suavis & delectabilis est poenitentia nostra, & ut ita dicam amaritudō dulcissima. (*In Dedicacione Ecclesie, Serm. 1.*)

CXXIII. Quid necesse est singulas animæ miseras numerare, quam sit onerata peccatis, offusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis & ignominie plena? nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ velut pannus menstruatae inveniuntur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? si lumen, quod in nobis est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? (*Serm. 5. Ibid.*)

CXXIV. Excludit miseriæ dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis: provocat vero compassionem humilis confessio passionis. (*Ibid.*)

CXXV. Quomodo esse debemus in Ecclesia? in quanta reverentia stare in loco isto ubi Deus est operans & servans, Angeli ascendentes & descendentes? . . . Hæc sunt quæ exiguntur à nobis, præteritorum poenitudo peccatorum, & futurorum expectatio præmiorum. (*Ibid.*)

CXXVI. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. . . Molestia, morbus, & ipsa mors, etiam & peccatum, quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, sollicitior, timorator, & cautior invenitur? (*Ibid.*)

CXXVII. Quod tribulationis est, momentaneum est & leve; quod gloriæ, æternum est, & pondus etiam supra modum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies & annos numeras? transit hora, transit & poena; nec accedunt sibi, sed cedunt potius & succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris: nescit vicissitudinem, nescit

finem, manet tota simul, & manet in æternum. (*Ibid.*)

CXXVIII. Quanto quis ad altiora profecerit, tanto gravius, si corruerit, colliditur, quando ruit. (*Ibid.*)

CXXIX. *Domine, salvum me fac*, quare? forte ne ardeat in inferno, forte ne fraudetur præmio? non, inquit, sed *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Non, inquit, quæro salutem, ut poenas vitæ, aut in cælo regnem; sed ut te in æternum laudem. . . . Servus dicit: *vadam ad portas inferi*. Mercenarius: *non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Filius: *Psalmos nostros, &c.* . . . & qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profecto quærit, quæ sua sunt. Porro qui Psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua, vel lucra appetit, sed illum procul dubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ. (*Ibid.*)

CXXX. Ecce enim quid loquitur Deus? *Agite*, inquit, *poenitentiam*. Et dissimulant multi, & contineat aures suas, & dicunt: durus est hic Sermo. Non sic impii, non sic dissimulare poteritis, cum sonabit asperum illud verbum & auditio mala, *ite, maledicti, in ignem æternum*. . . . Utilius namque & multo salubrius est hodie audire eum consulentem, consolantem, admonentem, docentem, & ut multum arguentem, increpantem, corripientem, quam in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa, audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. . . . nunc si quid amaritudinis sentio in voce ejus, non sine dulcedine est: *quoniam cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur*: imo vero & ipsa indignatio non aliunde quam de misericordia est. (*Serm. 5. Ibidem.*)

CXXXI. Sic se habeat universa sub sole, ut nihil sit in eis vere jucundum. (*Ibid.*)

CXXXII. Nos Deo & amorem debemus & subjectionem cum omni reverentia & humilitate: amorem quia fecit nos, & benefacit nobis; subjectionem, quia super nos est & hoc præci-

pit nobis, terribilis in consiliis super filios humanum. Ita ergo & sanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri, imitationem Sanctis, compassionem mortuis debemus. Auxilium ab Angelis, pietatem à Deo postulemus. (*Serm. 16. Ibid.*)

CXXXIII. Nemo vestrum, fratres, parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Siquidem tempus acceptabile est & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! donec pertranseat tempus, donec hora prætereat quam tibi ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulget. (*Serm. 17. Ibid.*)

CXXXIV. Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, sis humilis ad veniam petendam: si tu habes adversus illum, sis facilis ad dandam, & omnia membra erunt in pace. (*Serm. 19. Ibid.*)

CXXXV. Scientia Sanctorum est hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum; & in contrarium scientia malorum relabitur. (*Serm. 21. Ibid.*)

CXXXVI. At vero temporalia si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit: sed juxta beati Gregorii sententiam, non sunt hæc nimirum requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaque de quibus certum non habemus quid expediat nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur à te; sed non nimis obnixè: quoniam in talibus meminisse semper oportet Apostolicæ illius sententiæ: *nos enim quid oremus, sicut oportet nescimus*. Et Deo magis committere, quam temere aliquid apud nos definire. (*Serm. 25. Ibid.*)

CXXXVII. Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere, & quidquid in aliis minus habemus, de ea supplere? ... Porro totius humilitatis summa in eo videtur

consistere, si voluntas nostra, divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati, sicut ait Propheta: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* ... At vero subjectionem istam triplicem esse necesse est, ut quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino; & quod certum est eum nolle, similiter execremur & nos. Quod autem incertum est utrum velit aut nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus. (*Serm. 26. Ibid.*)

CXXXVIII. *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*; id est, diliges dulciter, sive affectuose, diliges prudenter, diliges fortiter. (*Serm. 29. Ibid.*)

CXXXIX. Nusquam est securitas, fratres, neque in cælo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cælo enim cecidit Angelus sub præsentia Divinitatis. Adam in paradiso de loco voluptatis. Judas in mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur locus iste sanctus est; quia non locus homines, sed homines locum sanctificant. (*Serm. 30. Ibid.*)

CXL. Ordo conjugatorum est qui maximè mare magnum vado pertransit: laboriosum prorsus etiam & periculosum, & longum habens, iter, quippe qui nulla viæ compendia captet. Nam quod periculosum sit iter, in eo patet quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus sicut necesse est pertransire. Valde enim difficile est, præsertim diebus istis quibus malitia nimis invaluit, inter undas hujus mundi, voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foveas declinare: at continentium quidem ordo & ponte pertransit; quod iter brevius & facilius, & securius esse nemo est qui nesciat. (*Serm. 35. Ibidem.*)

CXLI. Veritas est Deus, & tales quæsitores requirit, qui quærunt eum in spiritu & veritate. Si nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter. (*Serm. 37. Ibid.*)

CXLII. Principales viæ tuæ, sunt duæ: confessio & obedi-